Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31662
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

eternis sub caligine reservavit. Petrus quoque
apostolus id ipsum confirmat his verbis. Si enim
deus angelis peccantibus non pepercit sed ru-
dentibus inferni detractos in tartarum
tradidit in iudicium cruciatos reser-
vari. Recte ergo ex eo vocabulum sortitus
est ut vocaretur diabolus. quod primum edidit
prescriptura david. loquens in spiritu. Con-
stitue super eum peccatorem. et diabolus stet a dextris eius.
Diabolus namque hebraice deorsum fluens.
sive clausus ergastulo interpretatur.
Porro vocabulum de quo iam dictum
est scilicet sathanas quod interpretatur adver-
sarius cuius propter causam nominis cecidit. et
factus est diabolus. antiquior scriptura
libri iob primus edidit. Quadam inquit
die cum venissent filii dei ut assisterent co-
ram domino. affuit inter eos etiam sathan. Ex quo
superbire cepit ex eo satan est scilicet adver-
sarius dei. et ex quo propter eandem superbiam proiectus
cecidit. ex eo dicitur et est diabolus. Cum namque
deorsum fluxit. et ergastulo clausus est. quia
videlicet in grande chaos cecidit longe
a sublimitate dei. et quasi in ergastulo
tenetur. dum in aere depressus inpossi-
bile sentit esse ut rursus ascendat illuc
unde cecidit. immo futurum esse ignorat ut
adhuc in fervi precipitetur. tradatque in fer-
no inferiori. secum adhuc in die iudicii re-
servari. Nec vero loco tantum deorsum fluxit.
sed et intentione semper deorsum fluxit. Semper
enim vilissima quaeque appetivit. tam vilis nunc
nebulo. quam gloriosus archangelus primum ex-
titit. quod perpendat qui potest ex eo quod
in scriptura sacra spiritus immundus nuncupa-
ri consuevit. grece quoque diabolus idem
sonat quod latine criminator sive accusa-
tor. Et hic sensus vocis illi congruit per cau-
sa duplici. Nam et omne certamen suum re-
fert semper et ab initio retulit in deum. sese

iustum. deum non audens dicere iniustum. et fic-
tis criminibus innocentiam accusat electorum.
Unde et in apocalipsi angelica voce dicitur. Proiectus
est accusator fratrum nostrorum. qui accusabat illos ante conspectum
dei nostri die ac nocte. Angeli eius grece demones
id est scientes dicuntur. Presciunt enim multa fu-
tura. unde et solent responsa dare aliqua.
Inest namque illis cognitio rerum. plus quam
infirmitati humane. partim per dei iussum
angelica revelatione. Sed vero corporum aeriorum
natura vigent. ante transgressionem quidem
celestia corpora gerebant. lapsi vero ut iam
dictum est per superbiam. in aeriam qualitatem con-
versi sunt. At contra beati illi spiritus qui
in creatoris sui dilectione manserunt et
in veritate steterunt. venerandis ordini-
bus distincti. et splendidis nominibus insi-
to sunt decorati. ut alii vocentur et
sint vocati angeli. alii archangeli. alii
throni. alii dominationes. alii principatus.
alii potestates. alii virtutes. alii cheru-
bin. alii seraphin. Isti novem ordines an-
gelorum. lapides illi sunt preciosi. sardius. to-
pazius. iaspis. crisolitus. onix. berillus. sa-
phirus. carbunculus. et smaragdus. quorum
ut foramina. sic et tua preparata sunt in-
quit in die qua conditus es tu kerub extentus
et protegens. Sed non similiter ut isti. tu quoque
in foraminibus tuis auri ligaturas recepis-
ti. immo repulisti manum artificis sive
aurificis dei. Quales auri ligaturas rece-
punt isti. Aurum istud est verbum domini. aurum
istud est spiritus oris domini. Illo auro sic sunt al-
ligati lapides preciosi. lapides igniti. ut
in eternum stent in ordinibus suis. et nullus
ex eis umquam excidere possit. Hoc est quod
psalmista canit. Verbo domini celi firmati sunt et spiritu
oris eius omnis virtus eorum. Ipsi sunt lapides. ipsi sunt
celi. lapides per eternam stabilitatem. firmam-
que eternitatem. celi per inhabitantem in eis